

ea tempestate Arsaces desciverat). Tum Judaei, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (et Romani procul erant) sibi ipsi reges imposuere: qui mobilitate vulgi expulsi, resumta per arma dominatione, fugas civium, urbium ever- siones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi, superstitionem fovebant: quia honor Sacerdotii, firmamentum potentiae assumebatur.

IX. Romanorum primus Cn. Pompejus Judaeos domuit: templumque jure victoriae ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus deum effigie vacuum sedem, et inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox, civili inter nos bello, postquam in ditionem M. Antonii provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus, inter- fectusque a P. Ventidio, et Parthi trans Euphratem redacti: Iudaeos C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil expectato Caesare, Simo quidam regium nomen invaserat. Is a Quin- tilio Varo, obtinente Syriam, punitus: et gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies: dein jussi a C. Caesare, effigiem ejus in templo locare, arma potius sumere: quem motum Caesaris mors diremit. Clau- dius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit: e quibus Antonius Felix, per omnem saevitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatrae et Antonii nepte, in matrimonium accepta; ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

X. Duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum, procuratorem. Sed eo bellum ortum; et comprimere coeptantem Cestium Gallum, Syriae legatum, varia proelia ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato, aut taedio occidit, missu Neronis, Vespasianus fortuna famaue, et egregiis ministris, intra duas aestates, cuncta camporum omnesque, praeter Hierosolyma, urbes victore exercitu